SSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS,

SISTENS QVOSDAM

XCESSVS ET DEFECTVS IN MEDICINA

QVAM

DEO PRAESIDE

EX INDVLTV

TIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN

ALMA ARGENTORATENSIVM

VNIVERSITATE

PRO LICENTIA

MOS IN ARTE MEDICA HONORES ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA CAPESSENDI

OLENNI ERVDITORVM EXAMINI

SVBJICIT,

RGIVS VVOLFFGANGVS GILG,

Mœno-Francofurtenſis.

AD DIEM 16. JVN. M DCC XXI.

ARGENTORATI,

teris Viduæ JOSIÆ STÆDELII, Vniverſ. Typogr.

VIRO BONO,

PATRI OPTIMO

DOMINO

GEORGIO VVOLF-GANGO GILG,

MEDICINÆ DOCTORI

PRACTICO

APVD FRANCOFVRTENSES AD MOE[NVM]

CELEBRI,

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALE[M]

PIA MENTE

OFFERT,

ET

VENERABVNDVS TRADIT

FILIVS

GEORGIVS VVOLFFGANGVS G[ILG]

Lectori Salutem.

QVod Medicina à temporibus Hippocratis ad hodierna Secula non minimum ceperit ac nacta fuerit incrementum, extra omnem dubitationis aleam poſitum arbitror. i enim partes pleræque ad ipſam Medici- am pertinentes ſub incudem & ad examen evocentur, eaſdem mancas antea atq; mu- ilas, nunc reſarcitas & in melius redactas eprehendimus. Interim tamen minime ne- andum cenſeo, quod cum novis inventis, liiſque, quæ artem Medicam clariorem red- iderunt, rebus nova quoque principia & no- æ opiniones in forum animoſque Medico- um irrepſerint, ut multi interdum ſua, in- erdum & aliena exogitata majori, quam ar eſt, exoſculentur Veneratione. Dum gitur materia ad elaborandam diſſertatio- em erat neceſſaria, forte fortuna hæc, quam onſpicis, menti ſeſe obtulerat, hanc quoque laborare decreveram. At nunquam teme- arias mecum volutavi cogitationes, ut me

labori huic exantlando parem judicaverim, confiteor potius, quod oculis Tuis ſiſtam opuſculum, propter exiguas ingenii dotes, teneramque virium imbecillitatem, ut & breve temporis ad elaborandum conceſſi ſpatium. vile imò viliſſimum, non mihi, nec forſan Tibi, nec ipſi materiæ, ſed tantùm conſuetudini pro more diſputatorio hactenus recepto ſatisfaciens. Quam ob cauſam

Aſpectu, non laude putes præſentia digna
Quæ meliora dies forte futura dabit.

§. I

§. I.

CVm omnes ac Singulæ quotquot reperiuntur artes atque ſcientiæ variis ſemper obnoxiæ fuerint mutationibus, prorſus non eſt mirum, quod & Medicina diverſa diverſis temporibus fata fuerit experta. Quot enim inter antiquiores atque recentiores Medicos circa principia Artis Medicæ & invenienda & corrigenda occupatos numeramus *celebres*, tot quoque opiniones, & tot ferè principia circa Medicinam tam Theoreticam quam Practicam invenimus cum orbe communicata, ut non immerito iſtud exclamare posſemus: *Quot capita, tot ſententiæ, tot quoque principia.*

§. II.

Longum profectò & nimis prolixum foret, ſi cunctas Medicorum, qui poſt hominum memoriam ad hæc noſtra tempora floruerunt, intimius vellem recenſere hypotheſes, imò ſi id ipſum ſuſciperem, actum revera agerem, quoniam Celeb. Hoffmannus Tom. I. Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Cap. III. in tradendis Medicorum hypotheſibus admodum ſolicitus ſingulas ſingulorum opiniones & principia magna expoſuit dili-

 gentia:

gentia: Circa hoc tantum erò occupatus, ut veſtigia Viri modo laudati ut & Celeb. Wedelii in Theoremat. Med. p. 2. premens aſſerere ſuſcipiam, quod plurimi ſi non omnes traditionem principiorum ſuperſtruxerint fundamento non prorſus firmo, hoc enim vel ſemper obſervatur, quod principia bene aliâs excogitata nimium extenderint, & hoc modo vel in exceſſu vel in defectu peccaverint.

§. III.

Si enim vel antiquiſſimi in Scenam proferantur Medici, qui propter neglectum omne ferè ratiocinium nomine Empiricorum ſalutabantur ſtatim obſervabimus, quod, cum contenti fuerint ſolâ experientiâ omnibus penè ſpretis & rejectis rationibus, errorem & quidem in defectu commiſerint. Alio poſtea tramite incedebant Rationales, qui rationem & experientiam conjungentes Medicinam quidem reddidere perfectiorem, ſed cum ſecundum modo Laudatum Hoffmannum loc. cit. cauſas manifeſtas neglexerint, atque de illis quæ ſenſum ſubterfugiunt nimium ſoliciti fuerint, rationi plus, quam par erat, tribuiſſe videntur. Sic & Methodici non adeò feliciter tradiderunt Artis Medicæ principia, quoniam enim omnia ad laxum, ſtrictum & ex utroque mixtum referebant, nimis revera compendioſam & plane non ſufficientem in lucem ediderunt Medicinam.

§. IV.

Quotquot deinde priſcis temporibus Artis Apollineæ, ut ſic loquar, Reformatores, & novi novorum principiorum Fabri in medium prodierunt, ſemper ſeſe erroris hujus reddiderunt ſuſpectos. Quodſi enim Galeni ejuſque Aſſeclarum doctrinam conſideres, non adeò errabis, ſi concludere velis, quod principiis ſuis, imprimis vero humorum Quaternioni, & temperamentis

hinc

hinc provenientibus nimium tribuerint. Eodem ferè modo res ſeſe habet cum Paracelſo ac Helmontio, Viris aliàs de Medicina præſertim Chymia meritiſſimis, horum namque priorem principiis Chymicis, poſteriorem Archeo & aliis, quibus recenſere ſuperſedeo, opinionibus majori, quam par erat, diligentia & veneratione inhæſiſſe, veritati puto conſentaneum.

§. V.

Sic & recentiora ſecula hac in re fuerunt non omni modo felicia, quanquam quædam & diverſa eademque nova in lucem ediderint principia, hæc enim eundem & vix meliorem præ antiquioribus obtinuere ſucceſſum. Certe ſi quis vel Celeb. Tackenii acidum & alcali, vel Belgicorum Machaonum Principis Sylvii, aliorumque acidum, bilem & pituitam, vel Celeberrimi & paradoxorum ſtudioſiſſimi Bontekőe Scorbutum ſub cenſuram & incudem vocabit, omnino deprehendet, quod hæc in explicandis multorum morborum cauſis principia magnum quidem & minimè contemnendum obtineant uſum, attamen & ipſe ſimul perſpiciet, quod ad omnia & ſingula in corpore humano obvenientia phœnomena rite explicanda vix ac ne vix ſufficiant.

§. VI.

Sed nec recentiſſimæ Seculi hujus Sententiæ omnem prorſus laborem abſolvere videntur, exclamandum potius eſt, imò dolendum, quod intimius & accuratè examinantes in hodiernis principiis non omnino acquieſcere poſſint. Sive enim *materiale*, ſive *immateriale* concedas principium, invitus tamen fateberis, quod neque unum neque alterum omnibus, quibus ſatisfacere deberet, ſatisfaciat, & ſic ambo plus æquo extenſa ac in exceſſu conſtituta non injuſtè judicabis. Quodſi enim illorum, qui pro corpore pugnant, libros evol-

evolvamus, quodſi eorundem hypotheſes perluſtremus ac diligentius examinemus, facilè quidem obſervabimus, quod Theoriam, tam ſtatum corporis naturalem quam præternaturalem attinentem, tradiderint magna diligentia nec minori judicio excogitatam, interim dubitantes adhuc alo cogitationes, utrum plurima, quorum in Phyſiologia & præſertim Pathologia reſpectus neceſſariò eſt habendus, materiæ & corpori jure adſcripſerint.

§ VII.

Verum arbitror, & libenter concedo, multas & plurimas à motu Sanguinis & reliquorum humorum bene conſtituto, ut & ſtructura partium convenienti in corpore proficiſci actiones, nec unquam negabo, plurimos, ſi non omnes, morbos corpus humanum aggredientes à motu humorum læſo vel partibus læſis capere primordia, nec tandem errare me putarem, ſi motum & circulum humorum nulli darem cauſæ immateriali, ſed cum Philoſophis Mechanicæ, uti loquuntur, Medicinæ deditis ab ipſo corpore derivarem, attamen id ipſum faciens, non omnem prorſus animæ demere vellem potentiam, imperium certè in faciendis non tanquam cauſa ſed tanquam *Rector* actionibus obtinet maximum, id quod abunde ex variis præſertim morbis, *dummodo omne abſit præjudicium*, ad oculum videmus & obſervamus, hinc non poſſum non concludere, quod corpori in explicando ſtatu imprimis præternaturali tantum, quantum non meretur, concedatur.

§. VIII.

Res ferè non alio modo ſeſe habet cum ipſa anima, hujus enim potentiam ultra æquos extendi terminos ratio perſuadere videtur. Vix enim in hanc tranſcenderem opinionem, ut principio huic, de cujus esſentia variè diſputatur, omne, quicquid in humana obſervatur machina, tribuerem. Non video cur ipſam

corporis

corporis ſtructuram, cur omnium, quotquot ſunt, partium nutritionem, cur cunctas in corpore ſecretiones, cur omnes in univerſum actiones, cur ſingula, quæ in Pathologia occurrunt, ad ipſam referrem animam, his enim omnibus & ſingulis modo legitimo ſimul perficiendis cogitans hæcce ſubſtantia vix eſſet ſufficiens. Tantus profecto non comitteretur error, ſi ipſius potentiæ & attributis aliquid adimeretur, & ad corpus, revera non mere paſſivum, transferretur, præſertim cum ſtructura corporis elegantiſſima aliæque rationes momenti non minimi, quin & experientia id ipſum poſtulent & efflagitent.

§. IX.

Majori enim bruta animalia præ homine re tamen inter creatas nobiliſſima gauderent felicitate, utpote quæ deſtituta anima tam rationali quam immateriali [id quod ex Sacra Scriptura æque ac ratione, præſertim vero brutorum generatione non adeo difficile poſſet probari & demonſtrari] eaſdem ferè quas homines edere actiones quotidiè obſervamus. Quid? quod? nullus omnino motus & quidem conſtans ab inſectis in fruſta & partes diſciſſis poſſet expectari, ſi corpus merè paſſivum conſtitueretur. Non muſcæ capite privatæ per aliquod temporis ſpatium & vitam & motum agerent, non lacertas aliaque animalia per medium corporis diſſectas idem præſtantes videremus, non itidem muſcæ aquæ immerſæ eademque ſuffocatæ & vita orbatæ mediante creta, pulvere, aut ipſis radiis ſolaribus cum admiratione reſuſcitarentur, niſi illorum vita ab ipſo corpore dependeret.

§. X.

Cum itaque principia Medica tali modo videamus conſtituta, facili conjicere licet negotio, quod Medici ſententias, quas alunt, & in Praxi non eſſe negligendas crediderint, factum hinc ut varias pro ratione prin-

cipii excogitaverint medendi methodos. Magnum & vires ſuperans in memet ſuſciperem opus, ſi has ſecundum ordinem recenſere vellem, & quasnam de iiſdem foverem cogitationes pagellis hiſce exhiberem. Quamobrem nec hanc nec illam in medium adducam medendi methodum, ſed, dum illud ipſum Viris relinquere decreverim doctioribus, id ſaltem agere mecum conſtitui, ut oſtendere conarer, quod in præſcriptione quorundam medicamentorum, quæ hodiernis diebus præ aliis celebrantur & in uſum trahuntur, ſæpius imo ſæpiſſime vel in exceſſu vel in defectu peccari obſervetur.

§. XI.

Hoc cum facere animus eſſet, vix mentem & oculos ipſi tradideram Medicinæ, cum medicamenta ſic dicta univerſalia conſpectui ſeſe præbere animadverterem. Ingemui certè, dum deteſtandum abuſum horum maximi aliàs uſus medicamentorum & conſideraren & examinarem. Eò certè res rediit, ut multi magni quoque nominis Doctores, quos numero indoctorum adſcribere periculum eſſet, abuſus eorundem ſeſe quam maxime reddant ſuſpectos, dum ſæpe & fere ſemper ad hæc ceu ſacram confugiant anchoram. Non curæ cordique habent, ut morbô ægri probe antea examinatô medicamenta ſtatui morboſo adaptata cum ratione præſcribere cogitarent, nil niſi purgationes, nil niſi Venæſectiones commendantes. Vix enim ægrotus de capite aut alia corporis parte queritur, cum judicium in promtu habeant voce magni ponderis clamantes: *Purgandum.* Vix à vetula ſtatus morbifici mancè ſatis & mutilè certiores redduntur, cum ſonitus non minori auctoritate protruſus reſonet: *Vena ſecanda.*

Erube-

Erubeſcerem profectò ſi quis mentem ulterius declarare juberet, manum hanc ob cauſam de tabula removens hanc inſtituo querelam: *Sic luditur de corio humano.*

§. XII.

Non autem exiſtimandum, quod hæc quæ de abuſu quibuſdam Medicis adeo ſolenni fuere propoſita, ad ipſum uſum pertineant. Hæc enim medicamenta cum ratione exhibita laudem mereri maximam libenter confiteor. Hos certe ejuſdem criminis & erroris damnare licitum arbitror, qui ſpreta omni experientia ſalutaria hæcce remedia injuſto proſequuntur odio, hos, ſi Rhadamanthi perſonam agerem, Tantalea pœna dignos judicarem qui eadem contra omnem rationem ad Stygem & Acheronta relegare non dubitant. Cicerone revera opus eſſet, qui fructum & emolumentum ægrotis tam à purgationibus quam Venæſectionibus convenienter exhibitis enatum exponeret & enarraret, hinc concludendum: *Neminem morti vel morbo ſaltem tradidit uſus, plurimos abuſus.*

XIII.

Quemadmodum autem purgationes & Venæſectiones fato ſunt obnoxiæ mirabili, ita & cum aliis res ſeſe habet medicamentis. Quis enim ſplendidum & magnificum iſtud medicamentorum genus Panaceas *tam ſimplices quam duplicatas* examinat, qui non & ipſe fateatur, quod nomini mirum in modum ſuperbienti vires vel quoad vigeſimam partem ægrè reſpondeant. Panaceis nunquam denegatur potentia decumbentes ſecundæ reddendi valetudini: Panaceas nunquam virtute crederem deſtitutas, quæ corpus ægrotorum afflictum hoc

 vel

vel alio morbo liberaret: ſed quid tunc? hoc enim & cetera præſtant medicamenta, *nil itaque niſi Panaceas vendunt Pharmacopœi, uſurpant ægroti.* Hic ſane non inſanè poſſet quis exclamare: Riſum teneatis amici. Profectò quantum gloriæ, quantum ſplendoris titulo accedit, tantum virtutis, tantum virium decedit *monſtro huic medicamentorum.* Es iſt viel Geſchrei und wenig Wolle.

§. XIV.

Et quid tandem dicam de toties deprædicatis iſtis arcanis hodierna tempora adeo vexantibus, Pharmacopœis interitum & perniciem minantibus? Hæc erunt fortaſſe, quæ omni prorſus in Medicina abſolvendo labori paria exiſtent? Equidem planè non diffiteor, quod illa vim poſſideant inſignem in morbis quibuſdam debellandis, nec unquam negabo, quod inventores eadem adhibeant in fructum & emolumentum ægroti non minimum, hoc ſaltem indigitare velim, quod laude, quam par eſt, majori plerumque extollantur, præſertim cum quædam in Pharmacopoliis proſtantes Compoſitiones tam Chymicæ quam Pharmaceuticæ pleriſque cum quoad ingredientia tum quoad ipſas vires admodum credantur & obſerventur affinia ſi non ſimillima. Sed utantur inventores feliciter ſuis arcanis, quoniam quid ægro præbeant compertum habent. Hos tantùm, ſi meum eſſet imperium, non excuſandos judicarem, penes quos aliorum arcana in uſum trahere & ægris propinare nullum eſt dubium, quoniam afflictis mederi

mor-

morboſque fugare volunt atrociſſimos *ignorantes quomodo & quibus auxiliis.*

§. XV.

Sed utinam hæc tantum eſſent quæ turbas moverent in Medicina. Alia adhuc reperiuntur medicamenta infelices acrium vel inter Eruditiſſimos Æſculapii filios contentionum genitores. Vix enim fax illa & tuba belli inter Medicos admodum crudelis Opium in ſcenam prodierat, cum fata ipſius tam ſecunda quam adverſa nolens volens admirarer. Hoc certè remedii genus divinum judicatum ad auras & ſidera attollebatur, hoc ad exquiſitiſſimos quoque dolores proſternendos utiliſſimum laudabatur, hoc tantam ſibi vendicabat gloriam ut Celeberrimi etiam Machaones *Doctores eſſe ſine Opio noluerint*, hoc tandem præ plurimis remediis uſui ægrorum inſervientibus triumphum canebat & victoriam. Nec ſine jure. Tanta profectò admirandi hujus medicamenti virtus eſt & efficacia, ut me nullo modo errâſſe exiſtimarem, ſi illud ipſum cautè & cum judicio exhibitum omnium fere, qui corpus humanum miſerrimè torquent, dolorum *Perniciem* imo *Mortem* appellarem.

§. XVI.

Interim nunquam in hoc rapiar inſaniæ genus, ut me opio adeo amicum profiterer, qui & ipſius abuſum approbarem, confiteor potius, nec unquam eo inficias, quod ſine ratione propinatum ægris ſit pericu-

loſum imò periculoſiſſimum. Hos hanc ob cauſam Viros diligentem & exquiſitam circa uſum opii circumſpectionem commendantes quilibet omni, qui excipiantur, laude judicabit digniſſimos. Quid vero de illis ſentiendum, qui ipſum quoque & omnem uſum damnantes laudabile hocce medicamentum è caſtris tam Medicorum quam Pharmacopœorum exulare jubent, aliis dijudicandum relinquo, hoc unicum tantùm affirmare coactus, quod, cum uſum opii, remedii *pii* non *impii*, omni ſpreta experientiâ rejiciant, ægrum dies noctesque miſere ſatis ejulantem acerrimis concedant cruciatibus. *Res mehercle digna, quæ primum inter opera Chriſtiana obtineat locum!* Sed hoc ipſum, dum tali modo de opio agitur, præconceptis ut plurimum tribuendum eſt opinionibus, quippe quod vel ex hoc ſaltem divinare poſſemus, quod multi repeꝛiantur Medici, qui de methodo medendi alterius judicium ferentes contemtim pronunciant: **Er iſt auch ein** Opium Doctor. *Sic peccatur vel in exceſſu vel in defectu.*

§. XVII.

Nunc & aliud multis odioſo nomine veniens medicamentum iiſdem, quibus opium, fatis obnoxium in ſcenam proferre animus eſt, Corticem illum notiſſimum Chinæ de China. Hoc enim eſt illud medicamentum, quod præ ceteris magnas inter Medicos turbas excitavit & contentiones, cum alii uſum ejuſdem laudantes ſuadeant, alii contemnentes diſſuadeant. Quodſi autem exquiſitum corticis hujus examen inſtituatur,

tuatur, non ſine cauſa admirari licet, quod hoc remedium tantas inter Medicos pepererit lites, cum neminem facilè reperies, qui eidem vires febribus inimicas eaſdemque fugantes denegaret, nullum hanc ob cauſam deprehendo inpedimentum, quod uſum hujus medicamenti *febres ceu Hercules Cacum occidentis* prohiberet. Tumorem certè, qui corpora poſt uſum Chinæ Febre liberatorum interdum occupare ſolet, non inde enatum exiſtimarem, ut ipſum Chinæ legitimo modo adhibitæ adſcriberem, nec Febres altera & quandoque tertia vice redeuntes exinde derivâſſe æquum putarem. Hæc mala non Chinæ tanquam medicamento innocenti ſed *ipſis ſæpe Medicis*, *ipſis ſæpe ægrotis* cenſeo tribuenda. Non mirum eſt, quod cortici ante debitum tempus, & antequam corpus nondum prout par eſt fuerit evacuatum propinato exoptatus non reſpondeat effectus, non mirum, quod hôc factô ægrotus & ipſe ſæpius contra regulas peccans diæteticas febri rurſus tradatur & interdum tumoribus. Profecto *ſic culpa Medici*, *ſic culpa ægroti cadit in inſons omnino medicamentum*. Hæc certa exiſtimo quin certiſſima; Hinc non ſine jure conqueri liceret, quod non pauci deprehendantur Medici, qui buccas decumbentium & ventriculos ampla & nauſeoſa ſatis pulverum abſorbentium & temperantium Farragine ad vomitum uſque malunt adimpletos, quam pauca præſtantiſſimi hujus medicamenti prudenter exhibiti quantitate febres fugatas. Verum hæc non ſine uſu & fructu, *Charior eſt ipſis æger, cujus morbus ad ſex vel octo hebdomadas extenditur, quam qui viginti quatuor dierum ſpatio priſtinam recuperavit ſanitatem.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Ex his revera abunde & ad oculum patet, quod & ipſi Medici *non morbis ſed præjudiciis ſæpius* matre plerumque erroris vel in exceſſu vel in defectu commiſſi laborent & afficiantur: Ventum inde eſt, ut plura eodem modo quo Opium & Cortex infelicia reperiantur medicamenta. Longam earundem poſſem concinnare ſeriem, niſi artis Aſclepiadeæ odium metuerem. Non hanc ob cauſam Nitri, remedii hoc præſertim tempore multis adeo familiaris, mentionem faciam, nec ipſius abuſum, qui luce hodierna cum nauſea & terrore ægrotantium ſatis & nimium invaluit, oſtendere & reprehendere cogitabo, non Martialia, non Volatilia, non Cinnabarina, quæ à quibuſdam Medicis vel parciori vel nimio proſequuntur amore, in campum producam, quanquam id ipſum non tam ab inſtituto quam aliis rationibus fatear prohibitum. Imò nec de aliis verba faciam & ſermones medicamentis, non demonſtrare ſuſcipiam, quod Antimonium à quibuſdam ſine data defenſione in exilium ſeſe projectum conqueratur, non indigitabo, quod illud ipſum anxiè morbum vereatur, quoniam nunc non ſemper ut olim auxilio Chymicorum particulis ſibi quodammodo moleſtis liberatur, crudum verò & ſociis non prorſus amicis relictum exhibetur: Sed tempore ſic jubente & penna & charta rejecta alto me tradam ſilentio.

FINIS.